

# **Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 100**

Notum fieri volumus omnibus nostris successoribus, quod quidam miles de Vindocino, Hugo nomine, necnon et uxor eius (alias eius coniux) Adila, suorum reminiscentes peccatorum ut eis Deus propitiari dignaretur, pro eius amore contulerunt Sancto Martino Maioris Monasterii de suis beneficiis, videlicet terras et ecclesias atque alodos. Deinde aliquanto temporis spacio interiecto, filius eorum nomine Fulcherius, ad Sanctum Martinum veniens, res superius memoratas loco Maioris Monasterii pro sui patris ac matris redemptione, et ipse favendo, concessit, et donum super eiusdem Sancti altare posuit. Quo utique facto, ut concessa firmius in posterum perdurarent, dedit ei dominus abba quendam equum qualem inter se concorditer invenerunt. Nomina vero illud fieri videntium et audientium subterscribere curavimus. S. Fulcherii, qui hanc notitiam firmavit, et super altare Sancti Martini posuit. S. Huberti Andecavensis episcopi – S. Radulfi Fratris Otgerii de Viariis – S. Radulfi vicecomitis de Vindocino – S. Huberti filii Frodonis – S. Herberti Barbe – S. Guarini clerici – S. Algerii cierici de Morenna – S. Rainaldi filii Burchardi Gene – S. Hildeberti coqui.